

cap. 2 Osee, et in cap. 1 Cant., ad illud : *Vineam meam non custodivi*. Neque fortassè parvò stetit Uriæ Bethsabee conjugium, propter eximiam illam venustatem, quâ primùm oculos, deinde animum cepit Davidis.

Hæc autem dormire dicitur *in mariti sinu*, quia id proprium est sponsæ in nuptialibus sacris, ut diximus Cant. 2, ad illud : *Leva ejus sub capite meo* : usque adeò ut *cubans in sinu* proprietas sit sponsæ, et illius epitheton ; hoc enim modo sponsa describitur Michæ cap. 7, v. 5 : *Ab eâ, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui*. Deuteron. 13, v. 6 : *Uxor quæ est in sinu tuo*, et cap. 28, v. 54, *uxori, quæ cubat in sinu tuo*. Eccles. cap. 4, v. 1, uxor vocatur, *mulier sinûs viri sui*.

EGO UNXI TE IN REGEM SUPER ISRAEL, etc. (1). Ut augeat criminis gravitatem beneficia Dei nomine commemorat Nathan, quibus Deus Davidem cumulatissimè complexus est. Quemadmodùm Samuel cùm Saülis vellet inobedientiam exaggerare, in memoriam revocavit, quàm multiplex à Deo beneficium acceperit. Sed hic speciatim illorum meminit, quæ Davidem maximè arcere debuerunt à peccando. Primùm quia constitutus est rex, cujus id est proprium, ut legum sit et æquitatis custos et vindex, non eversor et proditor ; cujus peccatum aliis ad peccandum et januam aperit et ingerit, atque alit audaciam. Deinde, quia si minùs vellet se ab eo temperare, quò rapit animalis natura et propagandæ sobolis appetitus, satis illi uxorum datum est, ubi amatoriam sitim ad satisfactionem expleret. Quare non necesse fuit, ut ex virorum sinu uxores abduceret alienas.

VERS. 8. — DEDI TIBI DOMUM DOMINI TUI, ET UXORES DOMINI TUI IN SINU TUO. *Domus* significare

(1) *Voici ce que dit le Seigneur : Je vous ai sacré roi sur Israël, et je vous ai délivré de la main de Saül. Dieu traite ici David comme tous les pécheurs qu'il veut convertir. Avant que de leur reprocher leurs crimes, il leur représente toutes les grâces qu'il leur a faites, et cette pente même qu'il avait à leur en faire encore de nouvelles. Car il veut que l'opposition de sa bonté et de leur ingratitude leur fasse voir plus clairement combien ils étaient indignes d'avoir un tel père, et combien ils se sont rendus coupables d'avoir si mal répondu à tant de preuves de son amour. Ceci donc nous regarde tous, puisqu'il n'y a personne qui n'ait reçu de Dieu des témoignages de sa bonté paternelle. Il nous a donné part à un royaume plus considérable que celui de la Judée, et il nous a délivrés d'un ennemi plus redoutable que n'était Saül. C'est donc à nous aussi bien qu'à David qu'il adresse ces paroles : Pourquoi m'avez vous méprisé jusqu'à commettre le mal devant mes yeux?* (Sacy.)

potest regiam potestatem, quam à Saüle Dominus transtulit ad Davidem. Sed hic, ut est communis fermè sententia, traditum esse dicitur Davidi quidquid ad familiam priùs pertinebat Saülis, servos puta, ancillas et uxores, et quidquid in eâ familiâ opum atque ornamentorum fuit ; maximè ex quo Isboseth filius Saülis regnum appetiit, quod Deus à parente sustulerat, propter quod privari jure optimo potuit omnibus bonis, quæ illi ex paternâ hereditate provenire potuerunt. An verò uxores acceperit quæ fuere Saülis, incertum est. Quidam affirmant, et in his Hebræi, qui dicunt ex uxoribus Saülis duxisse Davidem Michol, Æglam et Respham. Quod optimè q. 3, confutat Abulensis. Sed dicendum, datum, id est, permissum à Deo fuisse Davidi ut uxores jam tamen viduas Saülis conjugalis sibi nexu copularet, quas tamen etsi per legem et religionem liceret socias habere thalami, non tamen fecit. Accusatur tamen, quia cùm haberet plurimas, quas salvâ religione cognoscere potuerit maritali consuetudine, ad eam quam tangere nullo modo fas erat, animum adjecit. Dare autem in sinu, ut paulò ante dicebamus, idem est, ac tradere in legitimum rei conjugalis usum. Hoc verò est habere numerosum gregem, ex quo sibi, quam vellet ex multis, ovem eligeret, et ab illis abstinuisse omnibus, et illam abstulisse, quam habebat unicam et unicè dilectam homo pauper.

ET SI PARVA SUNT ISTA, ADJICIAM TIBI MULTO MAJORA (1). Hæc, opinor, dicuntur, quæ promissa Davidi fuerant, neque tamen impleta, qualia sunt in ipsius domo stabile futurum esse regnum, ex suo genere nasciturum Messiam, quæ aliis, quæ consecutus jam fuerat David, augustiora multò sunt, quæque ingenuis animis necessitatem quamdam videbantur alatura, ne unquam nisi de divinâ voluntate præstandâ, et de referendâ gratiâ cogiterent.

Hospes peregrinus, cui comedendam obtulit alienam ovem, fuit libido et pruriens appetitus intemperantis concupiscentiæ, qui insaturabilis est, neque unquam dicit : Sufficit, ut de feminarum luxuriâ dicitur Proverb. 30, v. 16. Est autem affectus ille immoderatus et præceps, peregrinus ab eo qui sacro est inunctus oleo, et rei præpositus publicæ, et cui tot sunt

(1) Reddi posset Hebræus : *Si parva sunt ista, adjiciam tibi hæc et hæc, rebus aliis de nomine designatis, ut vitâ diuturnâ, regno felici, sapientiâ, opibus, etc.* Septuaginta : *Adjiciam tibi similia.* (Calmet.)

à Domino beneficia collata ; qui demi secam arcam habet Domini, quæ potius *Dei domus* vocari poterat, à quâ omnis abesse turpitude debuit, et opus omne à sanctitate peregrinum. Huic itaque hospiti, qui à diabolo legatus est, et ab eo mandata perfert planè mortifera, ovem offert alienam, qui appetitum illum impurum satiare studet veneris usu furtivo, et à lege atque pudore naturali prohibito.

VERS. 9. — QUARE ERGO CONTEMPSISTI VERBUM DOMINI, UT MALUM FACERES IN CONSPPECTU MEO? Violavit David verbum Domini, quia contra Domini præceptum post adulterium homicidium admisit. Ita communiter. Ego hoc verbum Domini illud esse opinor, de quo paulò antea, nempe stabile futurum regale solium in Davidis familiâ, et Regem regum Christum è Davidicâ stirpe nasciturum. Quod verbum ille videtur contemnere, et habere vile, qui quod benefactori videt esse gratum, non præstat, neque quidquam habet pensi, quid ille aut velit, aut oderit, dummodò peregrino hospiti, id est, diabolo, aut suæ sibi libidini satisfaciatur. Adde, quòd si promissio illa de Messia conditionata fuit, quales alia multæ factæ Davidi (ut illa, de quâ supra cap. 7, à v. 10), si peccatis se tam gravibus et turpibus implicuit, et tantum impedimentum opposuit peccando, ille promissionem videtur contempsisse, quasi nihili faciat, quòd irrita fuerit, aut vana promissio.

UT FACERES MALUM IN CONSPPECTU MEO. Augetur ex loco flagitii turpitude, eim peccatum priùs animo conceperit in eâ domo, ubi arca erat Domini ; et si quod aliud in terris, illud erat præcipuum habitaculum Dei. De hoc ignominia genere varia à prophetis quærelæ sunt in populum, qui non est verecundatus talia in templo admittere flagitia in conspectu Dei, qualia in hominum conspectu non auderet. Mitto alia, quæ infinitis penè locis occurrant, illud dico Isaïæ 57, v. 8 : *Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterium*. Vide quæ nos in eum locum pluribus. Admisit itaque David adulterium : sanè adulter ipse adulterium admisit in conspectu Domini, et peregrinum hostem, nempe diabolum, in divini sacrarii societatem admisit, et quasi Deum fecit contubernalem. Id, puto, David dolebat, iterabatque sæpè, cùm dicebat psal. 50 : *Malum coram te feci*. Repetebat nempe verbum Dei, quod ante per Prophetam audierat.

VERS. 10. — QUAMOBREM NON RECEDET GLADIUS DE DOMO TUA USQUE IN SEMPITERNUM. Non

semel à nobis observatum est, *æternum, sempiternum*, et similia significare aliquando, non quod nullo claudatur fine, sed quod diuturnum est. Quare si quod malum diu in alicujus familiâ inveteravit, illud ex Hebræi sermonis proprietate, et Scripturæ usu æternum appellatur. Bacchatus est gladius in domo David, quia statim occisus fuit puer ex adulterio conceptus ; non longè post Amnon Absalomis imperio, et Absalom ipse à Joab, qui bellum movit contra patrem, et illius domum stricto ferro hostiliter invasit. Deinde Adonias à Salomone ; et omnes denique, uno aut altero excepto, à vicinis hostibus, bello tentati sunt, et vario conflictu vexati atque attriti vehementer.

EO QUOD DESPEXERIS ME, ET TULERIS UXOREM URLE HETHÆI, UT ESSET UXOR TUA. Despectus dicitur Deus, tùm propter illa quæ dicebamus nuper, tùm quia uxorem duxit illius quem eam ob causam fraudulenter occidit. Sed cur ideò despectus ? Quia illam traduxit in eam domum, in quam non multò antea arcam traduxerat. Et licet in illius conjugio nullum videretur intercessisse peccatum, quia jam erat à conjugate viduata Bethsabee, neque lex ab altero connubio repellebat, tamen aliquid erat quod in eo connubio etiam legitimo Dominus probabat minùs, imò et apertè condemnabat. Neque enim, ut est communis interpretum sensus, à suo scelere resipuerat David, neque priorem cogitationem, aut impuræ voluptatis studium abjecerat. Quare licet post illud tempus non accederet ad alienam, non tamen alienus erat ab affectu priori ; neque tam sobolis legitima, quàm veneræ voluptatis gratiâ, assiduam habebat consuetudinem, idque in domo, quam David habebat penè cum Domino communem. Licet autem non esset adulterinus ille congressus, affectus tamen ille veneris non longè aberat ab adulterino, quia eodem modo cùm posset, non incommodè consuetudinem haberet cum alienâ, quam toto illo tempore habuit cum legitimâ ac suâ.

Theodoretus q. 23, et Procopius hoc matrimonium, seu matrimonialem usum damnari dicunt à Deo potius quàm priorem, qui fuit adulterinus, quia hic ab eo affectu primùm erupit, qui præceps est, et mentem evertit : ille magis jam pacatus et liber probare videtur et continuare, quæ cæcus amensque susceperat. Tacitè, inquit Theodoretus, significat oratio, quòd Deus magis succensuit ob matrimonium, quàm ob prius admissum

« adulterium. Nam illud quidem erat vehemen-
« tissimæ cupiditatis, quæ rationi torporem
« induxerat; hoc autem habet etiam assensum
« rationis, quam post iniquam cædem oportet
« bat lamentari ac lugere, non nefario as-
« sentiri matrimonio. » Eadem fermè Proco-
pius.

VERS. 11. — ECCE EGO SUSCITABO SUPER TE
MALUM DE DOMO TUA (1). Durum est ab aliis vul-
nus aut ignominiam subire; at ab illis pati,
qui tibi sunt necessitudine aut sanguine con-
iuncti, multò durius, quia ab illis injuriam
sustines, à quibus expectabas gratiam, aut offi-
cium naturæ, aut liberalitati debitum. Sic sanè
significabat David Psalm. 54, v. 15: *Quoniam
si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem
utique, etc. Tu verò, homo unanims, dux meus, et
notus meus, qui simul mecum dulces capiebas
cibos, etc.* Notum est illud Cæsaris, qui cum
in conjuratorum manus incidisset, gravissimo
illi dolori fuit, quòd inter illos filium quoque
in suam cædem conspirasse vidit; et quasi re-
liqua omnia toleranda duceret, hanc unam
vocem expressit dolor: *Καὶ σὺ, τέκνον: tu quoque,
fili!* Hic autem, qui contra parentis caput im-
pias armavit manus Absalom fuit, de quo
postea satis multa, quæ brevi statim sermone
comprehenduntur.

ET TOLLAM UXORES TUAS IN OCULIS TUIS, ET

(1) Ut scilicet Absalom filius tuus persequatur
te. Nam, ut ait S. Chrysost. in Psalm. 5:
« Unde est fons peccati, illic est plaga sup-
« plicii; quia ergo à præcepto Domini exul
« fugitivusque fuerat, propterea filium fugie-
« bat. » Et mox: « Nisi peccatorum scintillas
« occultasset, domus non conflagraret. » Mo-
rale deinde documentum subdit, eos, qui in
juventute cum mulieribus peccarunt, postea
incidere in uxores molestas et rixosas, à quibus
præterita libido per Deum castigatur, juxta illud
Ecclesiast. 7, 27: *Qui autem peccator est, ca-
pietur ab illâ, quasi ab amorum antidoto, quod
peccatorum malos humores consumat.* Audi
Chrysost.: « Uxor tecum bellum gerit, ingresso
« tanquam fera occurrit, linguam tanquam
« gladium acuit. Res quidem valdè molesta ac
« difficilis, quòd auxiliatrix adversaria facta
« est; teipsum tamen examina: numquid in
« juventute in mulierem novi quid attentaris,
« et quod mulieri à te vulnus inflictum est,
« curetur per mulierem, et alienum ulcus pro-
« pria uxor chirurgi officio fungens medicetur;
« et quamvis quæ seceat ignores, novit tamen
« Deus medicus. Ipse enim eâ tanquam ferro
« adversus te usus est, et quemadmodum fer-
« rum nescit quid agat, futuram autem per
« ferrum medelam novit medicus, ita etiam
« licet ignoret uxor, quæ ferit, et maritus,
« qui feritur, causam ictus, Deus tamen ut
« medicus, novit quid conferat »

(Corn. à Lap.)

DABO PROXIMO TUO. Non violavit Absalom pater-
num thalamum in oculis David, id est, ipso
vidente Davide, quia, ut constat ex c. 16, jam
ipse David excesserat à Jerusalem, reliquerat-
que, ut custodirent domum, decem concubi-
nas, cum quibus Absalom toto spectante populo
concubuit. Dicitur autem Absalom ante pater-
nos oculos cum illâ concubinarum multitudine
congressus, quia non quæsit tenebras, quas
actus ille nefarius requirebat, sed ita flagitium
illud aggressus est apertè, ut nemo non aspex-
rit. Et cum diù regem dedecus illud latere non
potuerit, perinde censi debuit, atque si illo
spectante atque dolente, thorax esset violatus
à filio. Ita Abulensis q. 9, Dionysius. Proximus
dicitur Absalom, quia nemo magis cum Davide
conjunctus, quam ab illo genitus; et fortassè
illo nemo charior. Quod satis probavit in filii
morte tam gravis in parente dolor et planctus
toties tam molliter et amanter expressus.
Concubuit autem Absalom, non cum uxoris
illis quarum audivimus nomina c. 3, sed cum
concubinis, quas accepisse dicitur c. 5, quas
ideò David restituit in regnum prioremque
fortunam arcè conclusit, neque illas am-
plius, sicut antea, cognovit, ut habes cap. 20,
vers. 5.

VERS. 12. — IN OCULIS SOLIS HUIUS. Hic
dicendi modus aliquid indicat aut nimium ju-
stum, et in quo inveniri nihil potest, quod non
probat hominum sensus: nam qui hæc faciunt,
amant lucem, quia nihil habent, propter quod
aliorum oculos et judicia impudent. Aut certè
mores indicat nimis impudentes aut fatuos,
qui palam faciunt, quod neque in latebris
fieri sine pudore potest. Quales sunt meretri-
ces, quæ publicè quæstum profitentur turpem,
et venalem pudorem in fornice prostituunt.
Quòd si eò progrediatur impudentia, ut nihil
opponatur aliorum oculis, non murus, non
porta, non denique velum, aut tegumentum
aliquod, quando sic apertè nudant corpus et
libidini vacant, neque tantum ex illo nefario
conebitu voluptatem captant, sed etiam alio-
rum oculis exhibere student, illi opus illud exe-
crandum in oculis solis, aut spectante sole fa-
cere dicuntur. Illa enim videre sol existimatur,
quæ luce collustrat, aut quæ ibi exercentur,
unde sol ab homine videri solet. Quare quæ
nocte fiunt, aut in latebris, aut objecto velo,
illa à sole videri negantur, quia eò solares
radii non irrumpunt.

In oculis igitur solis opus exerevit Absalom,
quod in tenebris, et longè intra mortuos cogi-

tari pudori illi esse et horrore debuisse. Nam
eo consilio paternum temeravit cubile, ut po-
pulus videret juxta consilium Achitophelis, et
illius contra David conculcatum jam et de-
spectum à filio inflammaretur studium; c. 16,
v. 21: *Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere
ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custo-
diendam domum, ut cum audierit omnis Israel,
quòd fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum
manus eorum.* Et statim additur: *Tetenderunt
ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressus-
que est ad concubinas patris sui coram universo
Israel.* In solario, inquit, id est, in loco aperto,
ubi neque paries, neque velum arcerent inve-
recundos oculos ab inverecundo, et mille no-
minibus execrando spectaculo. Neque mihi
dubium est, in eodem solario Davidis viola-
tas esse concubinas, in quo primum David
alienam uxorem concupivit; nam ex solario
dicitur vidisse mulierem, cum seipsam domi
suæ lavaret.

VERS. 13. — PECCAVI DOMINO (1). Ad hunc usque

(1) David répondit à Nathan: *J'ai péché con-
tre le Seigneur, et Nathan lui répondit: Le Sei-
gneur a transféré aussi votre péché; vous ne
mourrez point.* Quelques-uns expliquent ces
paroles de la mort temporelle, comme si Na-
than avait dit à David: Dieu ne vous ôtera
point la vie, quoiqu'il fût juste, selon la loi,
qu'un adultère et un homicide fût puni de
mort. Mais saint Augustin entend cette parole
de la mort éternelle, et il l'explique en cette
manière: « L'Esprit de Dieu, dit ce saint,
« voyait le fond du cœur de David, lorsque
« étant repris par Nathan, il dit: *J'ai péché.*
« C'est pourquoi, aussitôt qu'il eut prononcé
« cette parole, le prophète ajouta que Dieu
« lui avait accordé le pardon de sa faute et
« qu'il ne mourrait point, c'est-à-dire qu'il ne
« perdrait point la vie éternelle. Mais il lui
« prédit en même temps qu'il souffrirait de
« très-grandes afflictions, qui lui devaient
« naître de sa maison même. » Dieu donc
était résolu de sauver David pour jamais, et
néanmoins il voulait qu'il fit pénitence de son
péché, et que les blessures de son âme fussent
guéries par une longue suite de maux. « Car
« c'est un arrêt immuable de la justice divine,
« ajoute ce même saint, qu'encore que Dieu
« remette les peines spirituelles et éternelles
« aux vrais pénitents, il ne remet néanmoins
« à personne les peines de cette vie et les souf-
« frances du corps, dont il n'a pas voulu
« exempter ni les martyrs mêmes, ni son
« propre Fils. Aussi, lorsque David a vu sa
« maison affligée en tant de manières, et que
« tous les maux dont le prophète l'avait me-
« nacé sont fondus sur lui, il a été très-éloigné
« de se plaindre qu'il avait été trompé; et il
« n'a point murmuré contre Dieu, comme si le
« pardon de sa faute qu'il lui avait prom-
« mis, n'avait été qu'apparent et non véritable.
« Car ce prince, qui était si saint, et qui vou-
« lait être grand en Dieu, et non contre Dieu,

articulum excors videtur fuisse, et sine mente
David, quia voluptas illa venerea, cui se sub
id tempus intemperanter immererat, sanum
illi sensum et mentem eripuerat. Cum autem

« envisageait par l'œil de la foi ces peines in-
« compréhensibles où son péché l'aurait fait
« tomber, si Dieu n'avait reçu sa confession
« et sa pénitence. Et lorsqu'il considérait les
« malheurs dont sa maison était accablée, il se
« sentait infiniment obligé à Dieu, et de la mi-
« séricorde éternelle qu'il lui avait promise,
« et des maux temporels dont il daignait le
« châtier pour le rendre digne de cette grâce. »

Aussi c'est avec raison que quelques inter-
prètes ont remarqué qu'encore que Dieu ait
fait miséricorde à ce saint prophète, qu'il ap-
pelle lui-même un homme selon son cœur, il a
néanmoins signalé sa justice d'une manière
terrible dans les plaies différentes dont il l'a
frappé. Et l'on peut dire que, selon la réponse
que David fit à la parabole de Nathan, Dieu lui
a fait réparer au quadruple l'injustice qu'il
avait faite à l'innocence d'Urie. Car pour un
homme qu'il a tué injustement, il a perdu
quatre fils; l'enfant qui naquit d'abord, Am-
non et Absalom, pendant sa vie, et Adonias
aussitôt après sa mort. Et comme il avait dés-
honoré Urie en la personne de Bethsabée, son
propre fils l'a déshonoré de la manière du
monde la plus outrageuse, non en une seule,
mais en dix de ses femmes; non en secret,
comme avait fait David, mais à la vue de tout
un peuple, avec un mépris qui rendait encore
beaucoup plus insupportable l'indignité d'une
injure si atroce.

Ainsi la justice et la miséricorde s'accordent
l'une avec l'autre dans les vrais pénitents, se-
lon la parole du psaume. Et Dieu imprime dans
leur cœur un amour humble de cette équitable
sévérité avec laquelle il les traite, qui est, en
effet, toute pleine de bonté et de grâces pour
ceux qui en jugent par la lumière et le senti-
ment de la foi.

Saint Augustin fait encore cette reflexion
importante sur cette histoire: « David a dit:
« *J'ai péché,* et Nathan l'assure que son péché
« lui est remis. Saül a dit aussi: *J'ai péché,*
« et Samuël ne lui dit point que son péché lui
« est remis. Il l'assure, au contraire, que Dieu
« l'a rejeté, et qu'il a donné son royaume à un
« autre. » Ce saint docteur démêle excellem-
ment en ces termes cette difficulté qu'il s'est
proposée: « Ces deux princes, dit-il, ont dit
« tous deux: *J'ai péché;* mais ils l'ont dit très-
« différemment: les hommes leur ont entendu
« prononcer les mêmes paroles; mais Dieu,
« qui sonde les reins, et qui pénètre les secrets
« des âmes, a vu une prodigieuse différence
« au fond du cœur de l'un et de l'autre: In
« simili voce quam sensus humanus audiebat,
« dissimile prorsus erat quod divinus oculus dis-
« cernebat. » Saül dit à Samuël: *J'ai pé-
ché,* et il ajoute: *Mais honorez-moi devant mon
peuple.* Il s'abaisse en paroles, et il s'élève en
effet. Il dit qu'il a péché, non parce qu'il ait un
regret sincère d'avoir offensé celui qui l'avait
comblé de biens, mais parce qu'il a peur de
perdre le royaume que Dieu le menace de lui
ôter. David, au contraire, dit qu'il a péché; mais

illi et lux oculis, et sanitas animo restituta est, statim agnovit animi sui planè horribilem speciem, quæ illum evestigio clamare coegit: *Peccavi Domino*. In quibus verbis veram pœnitentiam agnoscunt Patres et interpretes. quia verba illa non fuerunt vacui et sine mente soni, sed magni cujusdam doloris et pœnitentis animi illustre documentum. Illud, *peccavi*, peccati indicat cognitionem et pondus, cui affinis est dolor; sed quia dolor iste multiplex esse potest, ille indicatur, dùm subditur *Domino*, qui verus est, quique à Deo veniam obtinet peccatorum.

Est enim dolor, qui humana tantùm spectat commoda, et ex eo nascitur, quia aut homo suis frustratur votis, aut privatur commodis, quæ cupit et venatur humana necessitas. Quia videlicet homini peccatori aut bonum nomen, aut patriam et dignitatem, aut humanas opes eripit lex, quæ penam irrogat peccato. Talis fuit dolor, quem ex peccato concepit Saül, cùm dixit, c. 15, v. 50, l. 1: *Peccavi*. Cur verò doleret, statim explicuit, dùm ait ad Samuelem: *Sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel*. Timere enim tantùm videbatur, ne vilis haberetur in populo, et è regno excideret: et hic dolor prorsus est inutilis. Simili afflictebatur dolore Antiochus, l. 1 Mach. c. 6, v. 12, qui dolebat memor malorum, quæ fecerat in Jerusalem; dolebat tamen, quia ideò putabat infletum sibi morbum et mortem instare. Alius est dolor, aliquantò nobilior, imperfectus tamen, et ab affectu natus illiberali et servili, qui aut pœnas metuit, aut bona desiderat æterna; et ideò malè afficit hominem, quia hæc amittit, et illas sibi subeundas esse videt. Cùm in his qui peccaverunt, similes sint voces et externa signa, quia tamen non similis fuit dolendi causa, effectus fuere longè dissimiles. Vide Augustinum l. 22 contra Faustum, cap. 67.

en même temps il s'humilie profondément devant Dieu; il accepte de tout son cœur tous les maux qu'il lui plaira de lui envoyer. Il est prêt à satisfaire à sa justice, et il espère en sa bonté infinie, étant persuadé qu'il ne lui enverra des maux que pour le guérir.

Saint Ambroise a dit, dans ce même esprit, qu'aussitôt que David eut dit à Nathan: *J'ai péché*, le prophète ajouta que Dieu avait transféré son péché et qu'il ne mourrait point, parce qu'il connaissait par une lumière du ciel que sa pénitence était intérieure et profonde; et qu'il voyait dans la disposition de son cœur comme une racine féconde d'où devaient naître les fruits d'un regret sincère, qu'il produirait jusqu'à la fin de sa vie. (Sacy.)

Alius est ingenuus dolor, qui in peccato divinam offensionem et injuriam videt, et ideò mœret, quia illius videt contemptam esse legem et offensum animum, quem amat super omnia, et à quo tam largis est cumulatus beneficiis. Id verò in illo dativo, *Domino*, significatur, quem esse offensum atque contemptum tanti facit, ut reliqua omnia tam sui ipsius, quàm Uriæ detrimenta non sentiat. Quod iterùm dixit, Psal. 50, hùc, ut opinor, spectans: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci*. Quod meo iudicio verum est; neque alia expositio mihi videtur esse commodior tam in hunc locum, quàm in Psal. 50, ad eadem propè verba, juxta illam regulam quam in nostris Commentariis super Ezechielem adduximus ad illud c. 20: *Dedi eis præcepta non bona*. Diximus enim ex usu Scripturæ negari aliquid esse, quod alterius comparatione existimatur exiguum. Quomodò Samaria et Sodoma, licet magnis se flagitiis implicuissent, comparatione Juda justæ vocantur, Ezech. cap. 16: *Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis*. In hunc ego sensum explicabam illud. Lucæ cap. 14, v. 26: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, etc.* Quia tantus esse debet erga Deum amor, ut ejus comparatione quicumque alius amor odium vocari possit. Quod explicuit Matth. cap. 10, v. 37, qui eandem Christi sententiam verbis propriis, et non figuratis expressit: *Qui amat patrem et matrem plus quàm me, non est me dignus*. Sic ergo cùm David peccasset in Uriam, cuius violavit thorum; in Bethsabee, quam ad gravem adulterii culpam et infamiam induxit; in populum, cui plurimum exemplo malo nocuisse potuit, peccasse tamen se dicit Domino, quia comparatione offensionis divinæ, offensiones aliæ nullæ existimantur. Et ideò Psal. 50, qui hoc ipso tempore compositus fuit, ut ex illius præfixâ inscriptione constat, non solùm Domino peccasse se dicit, sed soli Domino: *Tibi*, inquit, *soli peccavi*. Itaque non dolet David, quòd peccatum suum in omnium cognitionem veniat, quòd compressus aliquandiù ex ulcere putri fœtor erumpat, suumque nomen gravi apud omnes laboret infamiâ; quòd moriturus filius ex adulterio conceptus; quòd uxores in conspectu solis opprimantur à lascivo filio; quòd ab illius domo sit gladius recessurus in æternum; hæc, inquam, non curat David, quia multò acerbius divinæ offensionis aculeis exulceratur animus. Hæc Theodoretus et Basilus in Psal. 50. Audi Basilium, dùm exponit illud: *Tibi soli peccavi*:

« Cùm multis ac magnis donis tuis sim potitus, contraria tamen rependi. Non enim hoc dicit, quòd in Uriam non deliquerit: deliquit quidem et in illum, et in uxorem ejus; verùm maxima hæc prævaricatio adversus Deum præcipuè fuerat commissa, qui ipsum elegerat, et regem constituerat. » Eodem fermè modo Theodoretus.

Hujus verò doloris maxima dedit documenta David. Primùm in Psal. 50, qui eodem tempore compositus fuit, quo peccati fuit accusatus à Nathan, in quo tot sunt gravissimi doloris indicia, quot sunt in illo verba. Addit autem historia Scholastica, cùm primùm David ab ore Nathan divinam reprehensionem audivit, descendisse de throno, sedisse in terrâ, neque erubuisse in omnium conspectu confiteri peccatum. Aliud argumentum addit Chrysostomus tom. 1, homil. 2 in Psal. 50, dùm dicit, nullâ excusatione Davidem elevasse culpam, neque durè tulisse reprehensionem, sed quasi unus esset ex ordine plebeio caput demissum et regiam cervicem subjecisse: « Ille, inquit, velociter rediens ad conscientiam tanquàm fidelis et idoneus servus culpam simpliciter confitetur, et dicit: *Peccavi Domino*. Vides et in dolore ingenuitate animi? Nec dixit ad eum: O ille tu, cur non consideras fragilitatem humanam? Cur non te metipsum carnalem intelligis? Aut nescis me in culmine constitutum esse regali? Cur mihi audacter impegisti crimen? Sed quid dicit? *Peccavi Domino*. De pœnitentiâ Davidis multa dicuntur à Patribus, quæ à nobis hoc loco, ne longiores simus, omitti posse videntur, cùm illa apud suos auctores videri possint facilè. Vide Ambrosium in Apologiâ pro David, Augustinum in Ps. 50, et ibidem Chrysostomum.

Hæc expositio mihi omnium placet maximè; aliæ sunt variæ tam in hunc locum, quàm in illum Psal. 50: *Tibi soli peccavi*, qui aut idem est, aut ab eo non admodùm diversus. Chrysostomus in Ps. 50, Ambrosius epist. 7, lib. 2, ideò à Davide dictum esse putant: *Tibi soli peccavi*, quia Deus solus ipse potest punire peccatum, et quia solus ipse novit, et quia nullam in caput suum superiorem videbat esse potentiam. Quis enim tutò regum improbare consilia poterit, aut factum condemnare? Hoc unius Dei opus est, qui neminem metuit, qui quos in regnum sustulit, eosdem, cùm liberit, è regno dejicit. De hoc Job c. 54, v. 18: *Qui dicit regi, apostata; qui vocat duces impios*.

Aliam Augustinus explicationem addidit Augustino dignam, q. 55 in Deut., tom. 4, quam, licet non putem esse litteralem, quia tamen maximè est ad mores, libenter adducam. Ait enim ideò dictam esse à Davide hoc loco, et Psal. 50, uni Domino se peccavisse, et Jerem. cap. 14, v. 7: *Tibi peccavimus*, quia cùm noxium sit omnibus peccatum, soli tamen Deo quodammodò videtur esse utile, quia in eo peccato delendo, Dei ostenditur tum misericordia atque patientia, tum etiam potentia, quam ad opus illud infinitam esse oportet. Sic autem ille post alia multa in hoc argumento præclaro: « Hoc agitur, ut Deus ignoscendo glorificetur, quia magna est ejus misericordia super confitentes sibi, et redeuntes ad se, qui dicit se nolle mortem peccatoris, sed tantùm ut convertatur et vivat. Hinc et ipse David non solùm in Psalmo, verùm etiam cùm Deus eum argueret per prophetam, non sine spe propitiationis Domini respondit: *Peccavi Domino*. » Et adducit vulnerati exemplum, qui se medici manibus curandum subicit. Ille enim tunc maximam medico conciliat gloriam, cùm morbum illi, seu vulnus subjicit, cui solus ille afferre potest sanitatem, cùm aliis ad morbum illum desperatum facultas omnis atque potentia desit. Quare si quisquam ex casu foret ita collisus, ut non nisi ab uno adhiberi posset utilis medicina, rectè illi ægrotus diceret: *Tibi soli cecidi*; tum quia solus potes à morte vindicare; tum quia tibi uni gloriam augebit casus, qui mihi tam fuit perniciosus. Hoc modo magnam alicujus sapientiam, seu fortitudinem significare solemus. Sic, cùm casus accidit à naturâ occultus et admirabilis, aptè aliquis diceret: *Hic tibi, ô Plato, seu Aristoteles, casus accidit, quem explores et doceas; si quod anceps et implexum ænigma: Hoc te, ô Oedipe, postulat; si monstrum horribile: Hoc tibi, ô Hercules, monstrum natum est, quia præter te nemo illud extinguet. Hoc dixisse videtur alio loco David Ps. 40, v. 5: Sana animam meam, quia peccavi tibi*. Quasi dicat: Animam meam habeo à peccato sauciam; sana, obsecro, illam, quia tibi uni tanti vulneris medicina reservata est.

Quòd autem præter Deum nemo possit tollere peccatum, certum est; quòd autem peccatum delere et illi ignoscere, à quo offensus sit, magnam Deo præbeat materiam ad gloriam, multa probant. Numer. 14, v. 17, cùm dixisset Moyses: *Magnificetur ergo fortitudo Domini, sicut jurasti dicens: Dominus patiens, et multa*